

CAPUT LXVI

Excitantur quadam de Latinorum Cyclo falso commemorata.

I. IN primo capitis aditu Victorium Papam redarguit, quod Teflaredecatis perperam damnaverit, cum vicio ipse cyclo tum uteretur. Hic vero nigra succus Ioliginis, & κακηθηρα quedam insignis apparet. Quid enim committit victor, aut cur reprehendus in eo, quod Judaice Pascha celebrari vetuit? Primum enim cyclum nullum idoneum habuisse Victorium, divinando dumtaxat aserit, non certa auctoritate comperit. Neque enim scire potest equid Victor, ac Romani tum cyclum aliquem emendatorem usurpaverint, utputa Enneadecaeteridem; aut ut Odaeteridem, vel Hecca-decaeteridem observarint; unde illi constat Teflaredecatis, aut etiam Judaeos meliori annorum orbe usos esse? Nam quod de Calippico cyclo, aut Periodo suspicatur, illud omne commentitium esse sapius ostendimus. Quare nihil erat cur Victorium Pontificem accusaret, eique recutitos illos anteferet, quos tam exactam Periodum illis habuisse temporibus figmentum est Scaligeri toties nostra disputatione convictum. Siquidem e contrario certum est pravissimam apud illos celebrandi Paschatis rationem existisse; cum ante Aequinoctium, ac duodecimo mense peragerent; quod eorum Nisan pristinus, & a majoribus constitutos limites anteverteret, uti Judaei obicit Constantinus in Epistola. Quocirca minime audiendus Scaliger, imo vero impietatis damnandus, qui Judaeos, quos a sanctissimis Patribus, & Conciliis hoc uo nomine liquet damnatos ac repudiatos esse, quod Pascha perperam, & adversus legis auctoritatem indicerent, verpos, inquam, illos toties predicat, & accuratum eorum Pascha fuisse defendit. Hoc enim non probavit unquam, sed tamquam certum, minimeque dubium, sine ulla probatione fumpit, Judaeos Calippicam, vel accuratorem etiam Periodum adscivisse: quod funditus in superioribus est eversum. Ac si conseritur, & divinationibus res agitur, dici hoc a nobis potest, Romanos a beato Petro certam aliquam Periodum edoctos, qua Paschalia tempora dispenserent. Quod si Judaeos Calippicam illam Periodum servasse concedimus, eandem & ab Apostolis Romanos accepisse pugnabimus; neque ut hoc asseveremus, Scaligerianarum rationum momentis ullis redargui, convincique possumus.

Verum esto: nondum Victori, Romanisque Solis, ac Lunae ratio consulerit, quam Judaei, ac Teflaredecatis tenuerit, tamenne Victor accusandus fuit, qui non alium Afianis cyclum prescriberet, sed in illo ipso, quo utebantur, Cyclo legitimum, Christianumque Pascha, non Judaicum, observari juberet? Quid habet, quod admiretur, reprehendatque Scaliger? Utrumnam satis fuit xiv. Luna ante Aequinoctium, Pascha Judaeorum ritu ab Afianis peragi, an cum reliquo terrarum orbe consentire, eamque retinere consuetudinem, quam Nicenum deinde Concilium approbavit? Atqui unum illud veterat Pontifex, uti ne Afiani Judaeos imitari vellent, ac quarta decima Luna celebrare. Quod interdictum nemo jure possit arguere.

II. Quod vero quartadecimam a Victorio nominari plenilunium in fine concludit, non recte colligit. Etenim Victorius hoc solum dixit; si Sabbato plenilunium contigerit; nempe exeunte; veluti post occasum Solis, cum adhuc Sabbatum perseverat usque ad mediam noctem, nam ea est decima quarta Paschalis. Illud praeterea falsum est, Neomenias Christianorum per se, & ex instituto non esse ducis; verum est εσπεριον ημερας, & ob εσπεριον lunarem, qua Dionysii etate penitus unius dici contigerat. Nos de altero Scaligeri errore, quo terminum Paschalem plenilunium esse credit, agemus lib. v.

CAPUT LXVII

De Periodis Paschalibus Theophili, Cyrilli, Victorini, Victoris, Dionysii Exigui. Scaligeri doctrina.

IN ICENUM Concilium Paschalem xiv. eam statuit, qua Aequinoctium proximè sequeretur, quod tunc deprehendebatur xxi. Martii. Postea primus omnium Cyrillus Alexandrinus excogitavit Periodo xcv. annorum rationem feriarum cum terminorum Paschalium orbe constituit, ex anno Christi cccclxxx, anno Diocletiani xcviii. jam anno superiore cepto, Syagrio, & Eucherio Coss. Sed eam rursus castigavit Theophilus ejusdem urbis Antistes, sumpto initio ab anno Christi cccclxxviii, Diocletiani clxiii. Sed Florentius Wicomicensis ait Theophilum osium Periodum suam anno Diocletiani clxiii, Christi cccclxxx; Cyrillum autem anno Christi cccclxxviii. Nos melioribus auctoribus Dionysio, & Gennadio contrarium secuti sumus; quorum alter ait eam Periodum inire ab anno Christi cccclxxx, id est Diocletiani clxiii. Alter vero ait Theophilum eam obtulisse Theodosio Juniori. Id vero plane convenit anno Christi cccclxxx. Sed ea Periodus vitiosa.

Postea Victorinus, sive Victorius cyclum instituit annorum dxxxii, ofusa Kalend. Jan. anni ejus, in quem Baptisum Christi contulit xv. Tiberii, Geminis duobus Coss. Deinde Victor Capuanus Victorini Periodum emendavit, anno Christi d, qui erat ix. post consulatum Basilii, Indict. xlii, cum Pascha viii. Kalend. Maias esset. Scripsit ergo post tempora Justiniani, & post Dionysium. Dionysius porro Victorini Periodum recensuit anno dxxvi, ut indicat in Epistola, quam citat Beda lib. de temp. rat. cap. xi. Cœpit autem a prima Paschali quarta decima, id est ab anno, qui etiam antecessit.

In illo cyclo dies sunt 6935, & quatuor insuper, qui bissextilibus totidem inculcantur; horæ appendices 18. in fine eximuntur, qui est altus Lunæ. Cyclus enim ab eo anno incipit, qui habet Lunam primam xxi. Martii. Quod nisi horæ illæ succiderentur, Neomenia pessum iret in xxi. Martii.

Terminorum porro epochas jam Luna diem unum etate Dionysii a Nicæni Concilii temporibus anticipaverat, biduum autem a Christo: id quod ipse Dionysius indicat, cum alium cyclum lunarem, alium Paschalem instituit. Ad methodum cycli lunaris secundo Dionysiano convenientis, tria detrahenda sunt de cyclo Paschali. Continuavit autem Dionysius Periodum istam ad annum 1063. Beda ad annum 1596.

In illa verò Periodo digredenda multa peccavit; qui in Epistola, quam citat Beda anno dxxv. Indict. llii, Cyclo decemnovennali xiv. scribit Paschalem terminum incidisse in xxiv. Martii, cum in xxiii. esset. Deinde in ejus cyclo primus annus a Christo habet, ut debet, terminum Paschalem v. Cyrillo Aprilis, è regione verò litteram Dominicalem E. hic est cyclus Solis viii. Atqui nonus esse debuit; anno verò Christi primo decimus Rursus primus annus secunda Periodi est dxxxii. Christi; rectè notatur terminus in v. April. & lit. Dominicalis B. rectè: cur non in priore eodem modo? Sed è inepte unitatem adjiciendam præcipit ad methodum cycli. Nam in omni æra primus annus potest primus esse tam cycli Lunæ, quam Solis.

CAPUT LXVIII

Declarantur ex rei veritate Periodi Paschales à citatis auctoribus inventæ.

MULTIS modis in hoc capite hallucinatur: quæ tamen παρανομία adeo crassa sunt, ut eorum pleraque in libro sine correxerit.

Illud arte omnia fallissimum est, quartam decimam Paschalem eam esse, quæ proximè post Aequinoctium sequitur. Nam in ipsam etiam Aequinoctium incidit cyclo xvi, ut ex laterculo Terminorum Paschalium, quod subinde proposuit, apparet. Quocirca εσπεριον istud Scaligeri aondonamus, ut & sequens illud de Theophilo, &

LIBER SECUNDUS CAP. LXVIII

& Cyrillo, quorum ætates præposterè, collocat. Atque ut cetera illius errata deprehendere possumus, & quæ ab illis Cyclorum auctoribus instituta sunt sine errore discernere, singulorum inventa persequar.

Primus post Nicenum Concilium Paschalem cyclum edidit Theophilus anno cccclxxx. Sed quot annorum cyclum condiderit, id verò querendum Paulus Forosempron. lib. v. scribit ipsum annorum cccclxxviii. cyclum instituisse, in quo eadem littera, idemque cyclus lunaris præterquam in anno bissextili concurreret. Componitur autem ex xxxii. cyclis lunaribus, & xv. solaribus cum residuis annis xvii. Dies porro sunt 15961.44, qui numerus est septenarius. Sed interveniente bissexto eadem littera non redit. Verum Cyrillus in Præfatione, quæ est in Sirmondiano codice, testatur Theophilum annorum cccclxxviii. cyclum suum condidisse; in quo cycli sunt lunares integri xxi. solaris xiv. cum annis xxvi. dies verò 15267.44, qui numerus per septem divisus relinquit 4. Quare ad cyclum Lunæ solarem constituendum inutilis est. Ideo Pauli Forosempronensis opinionem magis amplector, & à Theophilo cycli arbitror annis cccclxxviii. circumscriptum. Ex eo verò centum dumtaxat annorum Paschata descripsit Theophilus: quod in primis testatur Cyrillus in prologo. Cujus sanctissimi præcepit (videlicet Theodosii Senioris) obtemperans cccclxxviii. annorum circulum Paschalem instituit, ejusque clementia à primo anno consularis ejus, usque ad centum calculans, quoto Calendarum, vel Iduum, & quoto Luna Pascha debeat celebrari, subiectis suis litteris destinavit. Item S. Leo Papa Epistola xiv. ad Marcianum. Sed sancta memoria Theophilus Alexandrina Ecclesia Episcopus, cum hujus observationis annos centum numero collegisset, septuagesimo sexto Paschale festum longe aliter, quam illi decreverant, tenendum esse constituit, à primo Augustæ memoria Theodosii senioris consulari succedentes sibi sacre observantia ordines ponens. Nec non Epistola xv. Sancta memoria Theophilus ad Augustum Theodosium seniorem scribens, per centum annos à primo prædicti principis consulari digessit ordinem diei festi, cujus instructionis septuagesimus quartus. nunc annus evoluitur Opilione consule. Proterius item Epistola ad Leonem Centenalem cursum Theophili vocat, ut & Dionysius Exiguus Epist. ad Petronium. Idem Marianus Scotus, ac Sigebertus memoria prodiderunt. Cœpit igitur Theophilus cyclus ab anno Christi cccclxxx, quo Gratianus v. ac Theodosius Coss. fuerunt, aureo numero 1. cujus septuagesimus quartus annus, ut ait S. Leo, cadit in annum cccclxiii. Vincomalo, & Opilione Coss. Verum quod cyclus iste longior esset, à Cyrillo brevior est, & ad xcv. annos redactus, quod Cyrillus ipse docet in prologo. Et ne fortè, inquit, quadragesimorum xviii. annorum infinita congeries, aut fastidium cognoscendi, aut pigritiam describendi quibusdam asserret, in nonaginta quinque annos eundem circulum brevior. Dionysius quoque Epist. II. Quia verò S. Cyrillus primam Cyclum ab anno Diocletiani clxiii. cepit, & ultimum in cclxviii. terminavit, &c. Isidorus insuper lib. vi. Orig. cap. xvii. Cyclum magnum ex Enneadecaeteridibus constantem quinque Cyrillo auctore describit. Postremò Marianus Scotus ad annum cccclxxviii. & Sigebertus ad annum cccclxxviii. de Cyrillo Cyclorum auctore testes accedunt. Porro in descriptione Cycli Cyrilli apud Isidorum menda quam plurima sunt in diebus Paschatum, ut ex illorum comparatione cum Dionysii ac Bedæ Cyclis potes animadvertere. Quinetiam caput illic Cyclorum ab anno illo deducitur, qui Natalem Christi vulgarem continet, nempe Periodi Jul. 4713. cyclo Solis ix. Lunæ i. Unde primus annus bissextilis est, litteris præditus DC, & ita deinceps.

Extra controversiam igitur est Cyrillum cycli magni, qui ex quinque decemnovennalibus componitur, inventorem esse, non Theophilum; qui quidem majore illo Theophili cyclo deterior est, & ad feriarum Sovearispæ, quod in cyclis istis majoribus imprimis quaritur, minus idoneus. Dionysius Exiguus in Epistola ad Petronium Cyrilliani cycli labem in eo consistere scribit, quod intercurrente bissexto Pascha Dominicum cum sua Luna non eodem modo recurrat. Quod hac ratione declarat. Anni Juliani xcv. dies colligit 34698. horas 18. Est autem septenarius numerus 34699. Quare post xcv. annos non redeunt ferie, nisi bissexto præcipitur, & sex horæ reliquæ ad complendum diem accedant. Sic in cyclis duobus, sive annis cxc. dies sunt 69367. horæ 12.

Atqui ne is quidem septenarius est: defunt enim horæ duodecim. proinde deterior est, uti diximus, Theophili cyclo, in quo minus reliqui est de horarum ratione. Neuter verò feriarum Sovearispæ exhibet, quæ in solo cyclo annorum dxxxii. reperitur; quo evoluto Novilunia ad eadem non modo ferias redeunt, sed etiam eodem tenore pertextuntur. Exempli causâ: anno dxxxii. Christi cœpit cyclus Dionysianus totidem annorum; aureo numero 1. Novilunium inuit Januarii xxiii. ex opinione Dionysii, feria. vi. anno sequente Novilunium cyclo secundo cœpit Januarii xii. feria iv. Anno dxxxiv. Novilunium cœpit Januarii i. feria i. & ita deinceps. Similiter anno Christi mxxiv. Novilunia ad eodem dies, & ferias recurrunt; ut & annis sequentibus, iidem videlicet Solis ac Lunæ redeuntibus cyclis, ex Dionysii, & illius sæculi εσπεριον, quod εσπεριον ignoravit. At in Cyrilli cyclo annorum nonaginta quinque non idem evenit. Nam bissextili anno interveniente series interruptitur. Quare quatuor continui cycli ab eadem feriâ ineunt, eademque Dominicâ littera; nisi quod annus primus cycli iv. hanc ipsam litteram post Februarium dumtaxat recuperat. Anno Christi 437. cœpit primus cyclus Cyrilli, cyclo Solis xxvi. lit. C. Anno 532. inuit secundus Cyclus Cyrilli, cycli solaris anno ix. littera DC. Anno 627. inuit tertius cyclus solaris cycli anno x. lit. D. Anno 722. inuit quartus cyclus Solis cyclo III. littera D. Anno 912. inuit sextus cyclus Solis xxv. littera E. D. quod ex hoc Diagrammate liquet.

Table with 4 columns: Cycli Cyrilli, Anni Christi, Cyclus Solis, Littera Domini. Rows 1-14 showing the progression of cycles and letters.

Vides in hoc laterculo descriptos Cyrilli cyclos quatuordecim, quorum primus cœpit anno Christi 437. in quibus eadem littera continuatur ad cyclos quatuor; & à bissextilibus dumtaxat ferias interruptitur; quibus annis eadem littera repetitur post xxv. Februarii. Ob id damnatus à posterioribus iste cyclus, atque alius commodior institutus annorum dxxxii, ducto scilicet cyclo Lunæ decemnovennali in cyclum Solis annorum xxviii. Hujus auctor primus fuit Victorius Aquitanus, de quo Marianus Scotus ad annum cccclxxiii. Victorius jubente Papa Hilario scripsit Paschalem circulum 532. annorum. Gennadius insuper idem testatur. Ita ut, inquit, à quingentesimo tricesimo tertio anno veniant Paschalis solemnitas eodem mense, & die, eademque Luna, qua primo

Passionis, ac Resurrectionis Domini, a anno facta est. Accedit & Sigebertus ad annum cccclxxii. In Annalibus Ecclesiasticis ad annum cccclxxii. notatum est, hoc ipso anno, qui est Hilarii Papæ III. Imp. Leonis vii. & Severi III. Victorium iussu Hilarii Papæ scripsisse cyclum usque ad annum dxxxii. Sed quod ab auctoribus scriptum est, cyclum illum à Victorio perductum usque ad annos dxxxii, non eum sensum habet, usque ad hunc annum à natali Christi cyclum esse deductum; ita ut lxxii. dumtaxat annos complexus sit, à cccclxxii. ad dxxxii. sed illud asserunt, cyclum istum annis dxxxii. constare. Quem quidem non ab anno ipso Incarnationis, sed à Passione Domini Victorius deduxerat. In vet. cod. manuscripto Sirmondi, in quo Victorius cyclus ille describitur, adnotatum erat, Christum ex opinione Sulpitii natum Sabino, & Rufino Coss. (est hic annus Julianus xlii.) passum autem Ruffo, & Rebello Coss. Geminis; quibus crucifixus est viii. Kalend. Aprilis. intervallum anni xxxi. & menses tres. Ita vetus codex. Consulatus Geminorum congruit anno Christi xxxix. Juliano lxxii. ita xxxii. ætatis ineunte passus est Christus.

In eodem codice Victorii Fasti per annos expansos descripti erant: sed deerat initium. Ad Olympiadem autem cxciv, ejusque annum tertium adscriptus erat Augusti xli, Urbis condita dcllii. Navitas D. N. Jesu Christi secundum carnem viii. Kalend. Jan. Olymp. cxciv, anno III. Sed & Indictio I. erat adscripta. Porro Christi predicatio adnotata ad annum ejus xxx, Indict. I. Passio ad Conf. Rufinum & Rubellium, post annum ejus xxxi, ac deinceps ab anno Passionis anni cycli pertextuntur, cum quartidecimis & Paschalibus Dominicis. Sed interpolatos fuisse fastos illos arbitramur, & ad Dionysii mentem castigatos. Nam Paschales Dominice nequaquam ad Victorii methodum exacte sunt.

Præterea illud in eodem codice legebatur: sub Leone minore, & majore conscripsisse Victorium, anno iv. regni eorum, Leonem & Majorianum intelligit, quorum annus quartus convenit Christi cccix, Leonis Papæ anno xxi, cum Hilarus inierit anno sequenti. Epistola quidem Hilari ad Victorium docet ab ipso nondum ad pontificatum provecto fuisse scriptam, qua in eodem codice Sirmondiano exstat. Diligenti, honorabili, sancto fratri Victorio Hilaro Episcopo Archidiacono urbis Romæ. Verum sequens epistola Victorii, sive prioris eidem jam Papæ est inscriptus. Domino vero sancto, & venerabili in Christo Papa Hilario Urbis Romæ Episcopo Victorius. Ita videri possit mandatum cycli condendi negotium ab Hilario, antequam Pontifex fieret: missum autem fuisse cyclum à Victorio, postquam idem ille Pontificatus est adeptus.

Tandem Dionysius Exiguus anno Christi dxxv. cyclum Paschalem instauravit, & quidem duplicem. Nam & xcv. annorum cyclum ad fulciendam Cyrilli Ennecontapentacteteridum instituit, & alium præterea dxxxii. annorum. De priori testatur ipsemet in Epistola II. ad Petronium, his verbis. Nonaginta autem quinque annorum cyclum studio quo valuerimus expedire contendimus, ultimum ejusdem beati Cyrilli, id est quintum circulum; quod sex adhuc ex eo anni supererant; & in nostro hoc opere præferentes, ac deinde quinque alios, juxta normam ejusdem Pontificis, imò potius sæpi dicti Nicæni Concilii, nos ordinasse profitemur. Quia vero sanctus Cyrillus primum cyclum ab anno Diocletiani ccliii. cepit, & ultimum in cclxviii. terminavit, nos à cclxviii. anno ejusdem tyranni potius quam principis inchoantes nobis circuli nostris memoriam impii, & persecutoris innectere; sed magis elegimus ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi annorum tempora prænotare, quatenus exordium spei nostræ notius nobis existeret, & causa reparacionis humana, id est Passio Redemptoris nostri evidentius eluceret. Mox subjicit: Circulum istum xcv. annorum non per omnia postquam tenere firmitatem; sed intervenientibus bissextis variari. sed hi qui ordine fixo per omnia decurrunt tempora mobilium casuum (fortitan casum) sua stabili circuitione, sine ulla possunt difficultate dirigere. Et ideo post expletionem xcv. annorum cum harum rerum diligens ad exordium redire voluerit, non ad quintum cyclum sancti Cyrilli; quem nobis necessario præposuimus; sed ad nostrum primum vigilanter excurret, & ordine, quo diximus, per eos, qui firmum cursum retinent, eorum progressum, qui videntur titubare, sustentet. Hæc Dionysius quæ quidem ut intelligas, scire debes, Dionysium anno Christi dxxvi. cyclum suum condidisse, anno Diocletiani cclii, si à Kalend. Jan. anni cclxxxv. primus inierit, anno cycli Cyrilli xc. Unde sex adhuc anni supererant, hoc est nonagesimus ipse cum aliis v, quibus additis, Cyrilli cyclus expletur anno Christi dxxxii, qui est Diocletiani cclxviii, si nimirum Diocletiani primus à Kalend. Jan. anni cclxxxv. ineat, ut dictum est. Igitur Dionysius cyclum totidem annorum Cyrilli cycli subiciens, quintum cyclum decemnovennalem Cyrilli suo priori præscripsit. Itaque cyclum annorum xcv. condidit; quo finito redire jubet, non ad Cyrilli quintum decemnovennalem, sed ad suum primum. Atque ut opinor, Cyrilli similem, hoc est annorum xcv. cyclum, cum Victorii cycli annorum dxxxii. conjunxit designavit enim in cycli majore Ennecontapentacteteridas, idque adeo verbis illic significasse videtur. Sed hi, qui ordine fixo per omnia decurrunt tempora, mobilium casuum sua stabili circuitione sine ulla possunt difficultate dirigere. Nam fluxum, & nutantem cyclum annorum xcv. per alterum majorem, & stabilem corrigendum esse docet. Eodem pertinet, quod in præfatione ad cyclus Dionysii, ac Bedæ anonymus quidam adnota-

Meminit Victorii Greg. Turon. lib. i. in præfatione.

vit: cyclum Dionysii majorem ad annos xcv, sive quinque Cyrilli cyclis adicere Ennecontapentacteteridas xxii. Qui tamen Dionysii verba non satis explicat; dum illum præcipere scribit, ut finita quinta Cyrilli Ennecontapentacteteride, & peractis vi. annis, qui supererant, eisdem sobrius lector non repetat, sed ad suum primum cyclum recurrat. Etenim post expletos xcv. annos Cyrilli, non ad sex illos residuos vetat recurrere, sed ad quinti ipsius initium, quem cyclis suis præfixerat. Proinde Dionysius in cycli Victorii reformando cyclum Cyrilli pariter adnotat; cum major ille, qui annis constat dxxxii, minoris & Cyrilli canon esset, cujus beneficio alterius errata castigarentur.

De hoc postremo, & Dionysiano cycli, ac methodo ejus univerfa, quam ad Gregorianam usque castigationem observavit Ecclesia, copiosius libro vi. disputabitur; ubi computi Paschalis elementa, ac principia tradentur. Nunc gravissima in eo Scaligeri errata perfringenda sunt.

CAPUT LXIX.

De Paschalibus Theophili, Cyrilli, Dionysii, & ceterorum methodis, deque aliorum super iis erratis.

CUM Theophilo Cyrillum antiquiorem per hallucinationem fecisset Scaliger, id quidem in fine operæ utcumque castigavit: sed nec omnia retractavit, in quibus peccaverat, & in illis ipsis, de quibus admonuit, emendandis vitis nova commisit. Theophilum ab anno Christi cccxxx. cyclum suum inisse Gratiano v, & Theodosio Cosl. paulo ante demonstravimus. In quo lapsus est Scaliger, qui Syagrium & Eucherium Cosl. anni cccxxxii. superiori illi tribuit. Idem porro in calce operis, ubi errata corrigat, hallucinationis suæ, qua Theophilo Cyrillum anteposuerat, causam veteres in auctores confert, qui hæc omnia perturbacionis plena produxerunt. Sed nullam omnino culpam veteres illi sustinent, qui in eo egregie consentiunt; non solum Theophilum Cyrillo tempore fuisse superiorum, quod vel pueri norunt: sed etiam illum ab anno Christi cccxxx. hunc à ccccxxvi. cyclum inchoasse Paschalem.

Errata vero Scaligeri reliqua, nec ab eo retractata, sed constantius asseverata, sunt ejusmodi. Primum quod Theophilum Alexandrinum Episcopum instituisse putat Periodum annorum xcv: quod & Calvisius in Chronologia posuit. Hoc autem vel Cyrillus ipse confutat, qui fe longiore avunculi sui Periodum in xcv. annorum spatia contraxisset testatur. Neque autem extare arbitror ullum, qui xcv. annorum cyclum à Theophilo institutum esse scripserit, præter Gennadium, qui tamen non à Theophilo reperit, sed à Concilio Nicæno constitutum, ab illo vero additis quibusdam festivitatis rationibus, & expositionibus auctum refert his verbis, Paschalem etiam recursum, quem magna apud Nicænam Synodus post nonaginta & quinque annos agi in tempore, & die, & Luna secundum statum suum invenerat, additis quibusdam ipsius festivitatis rationibus, Theodosio principi obtulit. Sed falsus est haud dubie Gennadius, & frustra miratur Scaliger. Leonem Papam in epist. ad Marcianum Periodum à Theophilo non annis xcv, sed centum definitam scribere, ut propterea centenariam illam Periodum appellet. Sigebertus quoque, ait, hunc auctorem secutus ridicula de hoc Periodo scribit. Utcumque de Sigeberto se res habet, palam est auctorem, quem ille secutus est, Leonem recte, verèque scripsisse. Nam Leo nusquam centenariam periodum vocat: sed centenariam annorum variationem, vel centenariam supputationem. Nimirum, quod centum annos è tota via Periodo, velut in specimen obtulisset, in quibus Paschata delinearet; non quod Periodum ullam centum annis præcisè circumscripterit. Sigebertus porro dum ita scribit ad annum cccxxxii. Theophilus Alexandria Episcopus cyclum de observatione Paschæ per centum annos digestum, quem laterculum vocavit, ab hoc anno inchoavit, hoc est à primo consulatu Theodosii, ad eandem festinationem trahi potest, ut cyclum per centum annos digesserit, hoc est centum in annos dumtaxat Paschata designavit. Quod si aliud Sigebertus in animo habuit; si centum annis definitum à Theophilo cyclum ullum putavit, plurimum hallucinatus est; ut & Marianus ita scribens

scribens ad annum cccxxxii. Theophilus Alexandria Episcopus computum centum annorum cursu Theodosio filio Gratiani dedicavit.

Aliud Scaligeri peccatum: Theophilum scribit cyclum suum ab anno primo Diocletiani incepisse, cujus annus ultimus erat Christi cccxxx. quo Consul fuit Aufonius. Hoc falsum est. Nec enim aliunde, quam ab anno cccxxx. sive primo Theodosii consulatu est exorsus, non quidem nonaginta quinque annorum Periodum, de qua nunquam ille cogitavit; sed quadringentorum triginta septem.

In Dionysiano verò cycli longè etiam sediora Scaliger commisit, quorum illud palmare: epochas terminorum Paschalem unum jam diem à Nicæno Concilio anticipatas esse, biduum autem à Christo ad Dionysii tempus, inde constare dicit, quod Dionysius alium cyclum Paschalem, alium lunarem instituitur esse conatus. Nam ad methodum cycli lunaris sæculo Dionysii convenientis tria derivanda sunt de cycli Paschali. Idem & lib. v. repetit. Ibi enim duplici illo cycli traditam ait Christianorum inscitiam, qui ad Lunæ rationes Paschatis celebritatem exigentes, alium tamen cyclum Lunæ, alium Paschatis instituebant. Demique in flagitiosæ Can. lib. III. pag. 176. idipsum repetit de cycli duplici ob id reperto, quod uno die novilunium anticipassent. Hic ego utrum magis admiret dubito, tantam in hoc homine rerum illarum, de quibus disputare voluit, inscitiam, an confidentiam in Christianis omnibus accusandam. Nam si quid cycli Paschalis, quid lunaris, quive illorum usus olim esset, vel minimum intellexisset, nunquam tam absurda, & aperte falsa scriptis suis proderet. Quid est enim alienius, quam causam utriusque illius instituenti cycli ad lunarem antegressionem referre? Quasi nulla foret Lunæ ætymologia, non duo illi cycli Romano in Calendario locum habuerint. Atqui cum biduum dumtaxat à Christo ad Dionysii Exigui tempus; à Nicæno verò Concilio unius nec integræ diei Lunaris anticipatio constata fuerit, duo ad summum detrahenda fuerunt de cycli decemnovennali Paschali, ut Lunaris haberetur ad Christi tempus accommodatus; si propterea dierum illa subductio fit, quod Neomeniæ sedes suas antevererint. Imò verò unus tantummodo dies detrahendus erat; quandoquidem cycli Paschalis ad Nicæna tempora, & eorum lunares motus directus fuit. Ad Dionysii tria detrahi jubet. Non igitur illa causa fuit cycli duplicis, quod Luna sedes suas anteverisset. Præterea cycli lunaris duplex est ratio. Primum enim sic à nobis spectatur, quatenus à Latinis Judæorum imitatoribus observatus fuit; de quibus supra differimus: cum ab Alexandrinorum numeris aureis triduo numeri Latinorum aurei distarent: quorum è sexta centum triginta circiter post Nicænam Synodum annis Victorinus exstitit, qui Latinorum lunarem illum cyclum perpolivit. Ad hoc pacto Scaligeriana fe hallucinatio manifestè prodit. Victorini quippe methodus, & Latinorum ante Victorinum omnium, Nicæno etiam ipso sæculo, tria de Nicæno, sive Paschali cycli detrahebat, ut cyclus haberetur ille, quem lunarem appellabant; nec ullum tempus unquam exstitit, quo non ternario Alexandrinum numeri Latinos excederent. Secundo lunaris iste cyclus ita consideratur, quatenus usu illius, quod ad Paschalem negotium attinet, sublatum, (postquam scilicet consensu Ecclesiarum omnium decemnovennalis Alexandrinorum cyclus admittis est) ætymologia, nihilominus, ac methodi gratià ad ætatem Lunæ per epactas ejus proprias investigandam; à Computistis est adhibitus. Sic enim à Dionysio, Beda, alii que cum Paschali comparatur. Cujus illi quidem usum ad Lunæ in Kal. Jan. ætatem invenendam pertinere dicunt. Etenim cycli verbi gratià III. epactæ xxi. sive, ut aliis placet, III. cum mensis ætatem Lunæ non exhibent, cujusmodi tum erat, videlicet I. sed xxi. sive iv. Itaque methodi gratià lunaris cyclus usurpabitur. Deductis tribus de aureo numero III. fit numerus cycli lunaris xix. cujus epactæ ad hoc negotium erunt nullæ, quæ cum Kal. Jan. dant Lunam primam. Hæc ipsa methodus tam Nicæno tempore, quam Victorini, Dionysii, Bedæ, nostrisque adeo sæculo adhiberi debuit; si pristinum illum cyclum retinere vellemus; & ut uno verbo dicam, quæcumque in diem primi mensis numerum tum Neomeniæ indicem contuleris cycli primo decemnovennali, nisi in Kalend. ipsis colloques, nunquam efficies, ut præter epactas, quæ aureo numero

colliguntur, non aliæ necessariae sint, quæ detractis unitatibus aliquot, ex eodem illo aureo numero formentur in eum finem, ut cum diebus primi mensis conjunctæ Neomeniam ostendant. Verum de his uberius libro sexto. Nunc illud animadvertendum, quàm imperitè lunarem ætymologiam duplicis illius cycli causam esse putet Scaliger; cum citra ætymologiam quocumque tempore distincti esse debuerint, ut ostensum est. Sic insulsiatima est Christianorum veterum illa reprehensio, quod cum in Paschatis ratione lunares sequi se profiterentur, tamen alium Lunæ cyclum, alium Paschalem constituerent. Neque enim illud animadvertit, cyclum illum, qui Paschalis appellatur, non minùs ad Lunæ motus accommodatum fuisse, quàm qui lunaris dicitur est. Nam uterque Neomeniam indicabat. sed quoniam epactæ, quæ ex Paschalis cycli numeris existunt, ætatem Lunæ cum mensis mensis, & ordinariis regularibus non exhibebant; id autem cycli posterioris epactæ postulabant, ideo lunaris hic, ille Paschalis & ætymologia nominatur. Hujus autem varietatis causa omnis est diversum anni Romani, & Alexandrini principium. Nam ab Alexandrinis Paschalem methodum, atque cyclum Romani mutuati sunt. Alexandrini porro, quod eorum aureus numerus primus anni civilis initio propemodum responderet, & epactæ ex numeris formatæ complementis in eodem primo mense suis apponerentur, unicum cycli genus habuerunt. Quod si Romani aureum numerum I. Kal. ipsi Jan. inscribere voluissent; quemadmodum in Julii Cæsaris Calendario fit, perinde unum, atque simplex cycli genus instituisset. sed ea res, cum de cyclis istis ageretur, libro sexto declarabitur. Ibidem & alius error Scaligeri patebit, qui horas xviii. appendices in fine Ennecontapentacteteridos putat esse saltum Lunæ. Nunc quæ privatim in Dionysii cycli decemnovennali castigavit examinanda sunt.

Nam cum multa in hac cycli novemdecennalis methodo à Scaligero reprehensa sunt, tum præcipua quærior. Primum illud est, quod anno Christi dxxxv. Indict. III. terminum Paschalem incidisse dixerit in xxiv. Martii, cum tamen esset in xxiii. Dicit enim nono Kal. April. cum verè fuerit x. Kal. Sed in eo castigando valde Scaliger hallucinatur. quippe Dionysius cyclos, aureosque numeros Nicænos penitus observavit, neque lunarem antegressionem agnovit. Cycli verò xiv. aureo numero xiiii. decima quarta Paschalis in xxiv. Martii cadit; cum Neomenia sit Martii xi. quo die perpetuò est affixa; tametsi Dionysii tempore novilunium ad x. Martii transitum fecisset. Alterum reprehensionis caput, quod anno primo tam cycli decemnovennalis, quam Periodi totius literam Dominicalem tribuerit E, hoc est cyclum Solis x. cum huic anno cyclus ix. competat, littera verò DC. Verum olim istud à Beda castigatum est; & nos Dionysianæ hallucinationis causam nonnullam in Epiphanius Animadversionibus attulimus: videlicet quod cum initio primum annum Nativitatis, & Incarnationis eo anno constituisset, quo annus III. Olymp. cxciv. cepit, Per. Jul. 4712. cycli ix. postea per imprudentiam ad annum Olympiadis iv. Periodi Julianæ 4713. delapsus est. Tertio à Scaligero notatur quod in eptè unitatem adjiciendam præcipiat ad methodum cycli. Nam in æra omni primus annus potest esse primus cycli. Quis tam absurdam reprehensionem audire sine risu possit? Dionysius enim aureum numerum I. quem ab Alexandrinis acceperat, retinere volens, eundem necessario in anno æræ suæ dxxxii. & in ccccxxii. & in cclxxxv. collocavit, adeoque in anno Julianæ Periodi 4713. Quare cum incarnatum Christum sibi persuasisset anno 4714. & ab Incarnatione Christianam æram auspiciari vellet, non potuit ab aureo numero I. illam inchoare, sed à II. Ideo ad methodum cycli unitatem jubet ad æram adicere. Nam aliud est æra Dionysiana, aliud cyclus. Utriusque porro non arbitrariam epocham, sed alteram à majoribus acceptam, alteram certis, ut putabat, rationibus adstrictam constituit. Unde vanissimum est, quod de cyclorum ratione, & initio Scaliger opponit, ut satis appareat.

Postremum illud, quod de æra Christiana uno anno mutilata à Dionysio proponit, alibi pluribus enucleabitur, uti jam ad Epiphanium fecimus. Ostendimus autem falsam esse Scaligeri ratiocinationem de biennio, quod æra communi deesse suspicatur, & quæ ad illud affirmandum argumenta protulit, ea nihil profusus effecere;

Pag. 157.

Pag. 164.

Pag. 155.

De Dionysii Exigui cycli.

cere; quam quidem disputationem postmodum instaurabimus.

Superest Dionysii error alius, quem non animadvertit Scaliger, nos autem in ejus laterculo deprehendimus, & erat profecto minime prætermittendus. Hujus verò nos postea meminimus, cum de Luna salta agemus, nimirum quod anno cycli decemnovennalis primo, qui aureum habet numerum XIX. decimam quintam Lunam cadere scribit in XV. Kal. Maias, hoc est Aprilis XVI. At verò cyclo decemnovennali decimo nono, & ultimo, qui aureum numerum obtinet XVII. decimam quartam Paschalem statuit eundem illum diem XVII. Aprilis. Ex quo sequitur annum primum cycli ab ultima die cycli XIX. inchoari, & unam, eandemque diem diversis annis attribui. Hoc verò de industria factum est à Dionysio, sed errore joculari, ut ibidem ostenditur.

CAPUT LXX.

De magno anno Democriti.

Scaliger p. 160.

SCRIBIT Censorinus Democritum annum instituisse magnam ex LXXXI. annis constantem, in quo sunt menses intercalares XXVIII. Igitur sine dubio existimavit annum lunarem esse dierum CCCIV. ut multi alii veterum; ita ut ex eorum sententia una syzygia sit dierum 29. horarum 14. ut & Romanis visum est. Annus igitur Democriti solaris fuit merus annus Julianus 365 1/2, qui dies per 82. multiplicati sunt 29950. horæ 12. Porro syzygia plene 28. hoc est dies 840. de 29950. deducti relinquent 2910. qui per 82. divisi dant præcise dies 355. Sed illas 12. horas insuper habuit Democritus.

Verum cum apud Censorinum nihil expressum sit de solaris anni magnitudine, quam Democritus constituit, non potest explorata esse syzygiarum, annorumque quantitas; nec aliter quam divinando definiti potest. Etenim unde tandem concludit Scaliger, annum solarem à Democrito dierum 365 1/2, spatio circumscriptum, aut lunarem 355. Quid si ego dixerim non amplius quam 365 dies solari anno à Democrito tributos; ita ut dies in annis 82. fuerint 29950. syzygiæ singulæ dierum fuerint 29. 13, 48, 8, 1/2, annus lunaris 354, 21, 37, 42, 1/2. Ad hæc si annis 82. dies imputentur 29950. horæ 12. & syzygiæ 1012. lunares anni superabunt dies 355. Quippe si dies tantum essent 29950. singulæ syzygiæ diebus constarent 29, 14, 16, 36, 1/2, annus lunaris 355, 3, 18, 12, 1/2. Quamobrem vaticinatur Scaliger, dum lunares annorum que solarem. Quod non perinde, ut in Philolai, & Oenopide Chii annis obtinere potest; in quibus solarium annorum modus ab illis taxatus apud Censorinum disertè concipitur. Ac profecto in magnis illis texendis annorum orbibus fieri potest, ut eorum conditores minime arbitrati sint, iis ipsis vertentibus utriusque sideris ἀνακαταστάσι fieri; sed non nihil deesse, ac superare de amborum rationibus; cui ἀνακαταστάσι medendum foret; ut de Græcorum Οἰαῖτερειδὲ supra ex Gemino didicimus. Quare certi nihil de lunari, ac solari anno Democriteo ex Censorino potest colligi.

CAPUT LXXI.

De cyclo lunari Saxonum, & Gallorum veterum.

QUÆ de Saxonum anno prodidit, ea ex Beda translulit lib. de Temp. rat. cap. XLII. in quibus quod de suo Scaliger addit, vel falsum est, vel incertum. Veluti quod ante Romanos, aut citra Juliani anni scientiam putat illos eundem anni modum definire potuisse. Atqui non dubium est ex Romanorum consuetudine Germanos illos Juliani anni quantitatem perditos fuisse potius, quam ex Oceani æstibus observasse: quod nequaquam Beda docuit. Id enim Scaligeri commentum est.

Quod ad Gallos attinet, censet idem merè lunaribus, adeoque Arabicis annis usos esse; quod ex Plinii auctoritate concludit. Is lib. XVI. de vitæ. Petitur, inquit, ante omnia sexta Luna, qua principia mensium, annorumque his faciunt, & sæculi post tricesimum annum. Nulla autem Periodus lunaris XXX. annorum finiri potest, nisi cum embolismi ratio non habetur.

* Hæc aliquid deest quod neque in Ezeris ad calcem editis, neque in Exemplari manu Petavii emendato, ad notatum erat. Adest Lector Scaligerum de Emend. Tempor. Lib. II. p. 167. Ed. Roverianæ, ubi de Magno Anno Democriti.

Verum tamen Galli tricenarium sæculum habuerint, non ideo consequens est, meris lunaribus annis, & Arabicis tempora digessisse, aut embolismis abstinuisse. Primum quia poterant lunaris anni modum justo longiorem instituire, aut Solis cerè breviorer; ita ut post XXX. annos eorum ἀνακαταστάσι fieret. Tringinta anni ex Enneadecæteride, & hendecade constant. Enneadecæteridem ad eandem epocham novilunia revocare creditum est à veteribus, Hendecæterides sesquidie ferè novilunium anticipat. Hoc discrimen vel ignorari à Gallis, vel dissimulari potuit. Ecce tibi post octo annos Græci Solem cum Luna conciliari persuasum habuerant; unde Οἰαῖτερειδὲ profectæ. Atqui tantumdem ferè post octo annos Luna Solem superat, quantum post XI. à Sole superatur. Octo anni solares dies colligunt 2922. Totidem lunares 2923, 12, 41'. Excessus ergo Lunæ supra Solem est diei unius, horarum 12, 41'. Rursus Hendecade Solis est dierum 4017. hor. 18. lunaris 4016. hor. 3, 51', 12'', 56'''. differentia utriusque dies 1. horæ 14, 8', 12'', 56'''. tanto spatio Lunæ ratiocinia ab Sole deficiunt. Apparet igitur facile barbaris hominibus labem illam obrepere potuisse, ut post XI. annos Solem cum Luna paria facere arbitrentur. Quis autem hoc miratur, cum videat tanto post Nicænum Concilium tempore, hoc est ætate Bedæ, nonnullis existimasse tam octo solares annos cum totidem lunaribus, quam undenos utriusque sibi invicem accuratissime respondere? Nam in lib. de Temp. Rat. cap. XLV. Beda sic loquitur. Verum etiam nunc sunt, qui Solis octo annos totidem annis lunaribus; utriusque Solis XI. totidem putant annis lunaribus dierum aequalitate componi. Ut igitur illi, licet octo annos ambo conciliari inter se sidera putarent, nihilominus Hendecadem, quam idem facere censebant, adjunxerant. Ita nemo dubitabit quin Galli veteres idem fecerint in Enneadecæteride, & Hendecæteride, aut certè non ante tricenos annos conciliari crederint, propter certum anni utriusque modum illorum opinione præscriptum, quem nos ignoramus. Quid si præterea Solis interim rationes neglexerint, aut minore, vel majore annorum orbe cum Luna in concordiam reducerint; & tamen interim triginta annorum sæculum esse voluerint, lunarium dumtaxat? Quemadmodum Græci, auctore ipso Scaligero, tamen quatuor annis vertentibus scirent Lunam cum Sole minime componi, hoc ipsum intervallum celebratibus maximis præstitutum habuerunt; idemque & in octo, aut XVI. annis, comperto Periodorum illarum vitio, fecerunt, longioribus expectatis temporum spatiis, ut ἀνακαταστάσι certorum dierum annum suum castigarent. Ita sanè Gallos XXX. lunares annos credibile est sæculo suo definitis, etiam seclusa siderum ἀνακαταστάσι. Denique quis Scaligerum docuit Gallos, etsi Lunam sextam auspiciis annorum statuerent, non interim aliud ac solare genus anni civili usu retinuisse; uti nos politicum alium annum, alium Ecclesiasticum; illum solarem, hunc lunarem observare consuevimus? Sic & Græci, ex opinione Scaligeri, cum nova quadam & inter solarem, lunaremque media anni forma civiliter uterentur, tamen Tetraeterides singulas ita disponebant, ut à jugo Lunæ omnes ordirentur. Sed has omnes divinationes & conjecturas missas facio, quæ argumento esse possunt, parum solidum esse quod de Gallis ariolatus est Scaliger; cum ejusmodi sexcentæ rationes excogitari queant, quibus Pliniani testimonii sententia nihilominus constet.

CAPUT LXXII.

De veteri anno Romanorum, ac primum qua de eo Scaliger explicavit.

ANNUM Romanorum ante ordinationem Julianam à Numa institutum fuisse mensium XII. cum Romulus decemestrem constituisset, omnes ferè prisca Romani persuasum habebant; quod & Martius princeps mensium fuisse; & December ab eodem decimus, September septimus numeraretur. Sed potior est Feneftella, & Licinii Macri sententia, qui contendunt annum Romanorum statim ab initio XII. mensium existitisse, & à Latinis petiitum, penes quos ante conditam urbem totidem mensium fuerit. quod enim lunarem secuti sunt Romani, argumento sunt appellationes Nonarum, Kalendarum,

darum, & Eiduum. nam ἀδ@ est plenilunium, à quo ab intermenstruo tempus fuit nunc XVI. nunc XV. dies. Ab intermenstruo ad Nonas; sive τῶν ἀρχαίων, nunc VII. nunc VI. τῶν ἀρχαίων ad παλαιῶν, octo solidi.

II. Præterea cur Romani à media nocte diem ordirentur, nisi Lunam nocturni temporis ducent in dierum civilium divisione sequerentur? Hinc nata ille locutiones, A. D. IV. Eid. Item ex A. D. IV. nam dies vulgariter est tempus inter ortum Solis & occasum. locutio autem illa, ante diem, comprehendit tempus inter mediam noctem, & ortum Solis. ergo ante diem nihil est aliud quam à media nocte ante lucis exortum. quod & Aufonius in Epistola ad Paulinum indicat; dum ita loquitur. Jam prima nox erat ante diem XIX. Kal. Jan. cum reddita sunt mihi litteræ tuæ.

III. Non dubium est igitur veterem annum Romanorum lunarem existitisse, cum esset dierum CCCIV. cujusmodi qui primus instituit, lunarem facere habebat in animo; cum tantò post Democritus totidem dierum esse putaverit. Itaque mensis lunaris secundum Democritum, & anni Romani conditorem, fuit dierum 29, 14. Ad eum modum menses dispositi prius erant, ut primus cavius esset, secundus plenus; & ita deinceps, secundum horarum rationem.

Table with 5 columns: Mensium nomina, Dies collecti, Horæ, Dies mensium præcorum, Dies mensium Romanorum. Rows include Martius, Aprilis, Maius, Junius, Quintilis, Sextilis, September, October, November, December, Januarius, Februarius.

Hoc modo adhibita ἐξάριθ, Lunam assequabantur. Nam in XXX. annis dies XIX. detrahebant. Priores columnæ mensium dispositionem continent, cujusmodi apud Latinos veteres, & Romuli temporibus existit. Postrema instituta à Numa rationem exhibet. Qui imparis numeri superflitione ductus, omnes pares numeros sustulit, nam semper pro XXXIX. posuit XXXI. & pro XXX. XXX. usque ad Decembrem; qui cum esset XXXIX. dierum, non potuit fieri XXXI. quia plures dierum XXXI. fieri non poterant. De Februarii necessarii eximendi fuerunt duo, ne annus esset dierum CCLVII.

IV. Si hoc considerasset Varro, ut debuit, vetera de hoc anno protulisset; nunc intercalationis modum consideremus. Macrobius, & alii ejus notæ Scriptores aiunt Romanos à Græcis didicisse modum alternis bienniis intercalandi, nunc XXI. nunc XXII. dies, quia excessus Solis supra Lunam est dierum XI. cum quadrante. Sed tam Macrobius, quam Solinus multum hac in re mentiti sunt; multum hallucinati. Quid autem necesse fuit Græcos alternis XXI. & XXII. dies intercalare, si annus merè lunaris fuit? Nam si illa intercalatione Solis cursum assequerentur, non potuit esse lunaris. Igitur Romani mensium unum alternis bienniis XXI. & XXII. dierum intercalabant, quem Merkedonium nominabant. Intercalabant post Terminalia; hoc est XXII. diem Februarii, ut ex Varrone colligitur; qui insuper Merkedonium appellat Februarium. Anno igitur embolimo ἐξάριθ mensibus is, qui propior erat Martio, dicebatur intercalaris. siquidem verum dicit Varro non deno intercalario mensium XI. fuisse Februarium, quamvis mutilum, & nunc XXI. nunc XXII. dierum. Afconius Pedianus in illa pro Milone, scribit Pompeium Coss. III. cre-

tun v. Kal. Martias mense intercalario. Legimus item in veteribus monumentis Scipionem Asiaticum triumphasse mense intercalari pridie Kal. Martias. Cato de verborum significatione testatur mensum intercalarem diebus constare XXXVII.

V. Ex verbis Varronis cognoscimus, mensium XII. fuisse justum Februarium XXVII. dierum. Quare non semper Terminalia erant dies XXII. Februarii. Cum enim Merkedonius erat XXI. dierum, tunc Terminalia erant in XXX. & Regifugium semper erant Kal. mensis XII. uti Terminalia dies ultimus Merkedonii. Auctor intercalationis Numa, auctore Cicero lib. I. de Legib.

VI. Omnes illæ veteres nationes etsi anno solari non uterentur in tributione temporum civilium, tamen annum illum in arcanis observabant, & 365 1/2 diebus constare sciebant; uti Græci, qui modum intercalationis ad epocham solstitii temperabant. Quomodo autem solstitii diem tenere possent illo numero dierum non observato? Sanè & anno Solis dies CCLXX. attribuebant, & quarto quoque anno diem intercalabant post CCLXX. illos dies, & Hierophantæ Athenis, & Romæ Pontifices eodem anno, quo Merkedonius XXI. dierum intercalabatur, ante initium anni primi Olympiadis. Quod enim extra Merkedonios Romani diem intercalarent, testatur Macrobius, qui id ex veteribus asserit. Quod autem Olympiadibus intercalaretur, & ratio postulat ob quadriennium solare; & quia à Græcis id accepisse videntur. Sed Cicero disertè, ac clarè ita expressit, ut dubitandum amplius non sit, lib. VII. Epist. ad Atticum, cum ait: Et tu etiam scito quo die Olympiadum mysteria. Nam cum intercalabatur dies ille, quædam mysteria gerebantur; de quibus etiam lib. V. & VI. Aliter hæc mysteria vocat Olympia lib. XVI. quæ erant arcana quadriennia à Pontificibus tam Romanis, quam Atheniensibus observari solita, quibus exactis diem intercalabant.

VII. Romani igitur annum habebant mensium XII. dierum XI. hor. VI. quæ appendices dies, & horæ cum alteris totidem post biennium intercalabantur. Ex XXII. diebus Merkedonius fiebat, horæ verò in alterum biennium reservate sunt: erantque tunc Merkedonius dierum XXI. ut ex diagrammate quod proposuit, apparet. Hoc modo singulis bienniis biduum accrescit. Quare Merkedonium unum omittent; cum ex illis diebus superfluis legitimus Merkedonii modus conflatus esset. Undecim biennia dies XXI. superfluis producant. Hic omittitur intercalatio Merkedonii. retinentur horæ XII. quæ in sequenti biennio cum diebus XXI. horis XII. conscient Merked. XXI. dierum. Itaque post XXI. annos omittitur intercalatio. sed iusta cum sole persequatio non nisi post alteram Periodum XXI. annorum existit.

Ergo Periodus Romana fuit annorum XXI. non ut Livius indicat XXV. Scribit enim, viciesimo quarto quoque anno ad metam eandem Solis, unde vixi essent, plenis annorum omnium spatiis dies congruere; quod est absurdum. Nam sive anno XXV. intercalatur, totidem dies supra rationem Solis excreverunt; sive omittantur anno XXIV. intercalationem significet; ne istud quidem rectè. Nam omittendus Merkedonius, qui XXII. numquam excedat, si XXV. anno prætermittatur, unus dies superfluis erit, aut duo, si in illum incidat Merkedonius.

CAPUT LXXIII.

Scaligeriana doctrina de anno veteri Romano consutatio.

I. SI quæ à vetustis auctoribus de anno Romano prodita sunt sequenda sibi proposuisset Scaliger, non in divinationibus, ac conjecturis suis explicandis tam multa verba perdidisset. Nunc ab illorum auctoritate, consensuque discedens, annum ordinavit, non quem veteres usurpaverunt Romani, sed quem ipse commentus est. quod ut cuilibet obvium, ac facillimum est, ita minime est tolerandum. Jam primum quod communem illam de X. mensibus opinionem frivolum, & commentitiam esse tam confidenter pronuntiat; suo quidem more, atque instituto facit, hoc est, leviter, ac temerè. Neque enim video, cur non deno mensibus circumscribi annus à Romulo potuerit, quot apud Albanos constabat; cum nonnulli Græcorum etiam populi pauciores constituisse dicantur. Nam quod

quod Scaliger asseverat, annum merè lunarem tam penes Latinos ante conditam Urbem, quam Romanos post eandem conditam existisse; ita nullus tum Mercedinus post alterum annum intercalaretur; est illud quidem probabile, non ejusmodi tamen, ut tam constanter, vel certum, & indubitatum affirmari debeat. Neque enim manifestis, aut necessariis ullis argumentis illud ostenditur. Quod enim primum id ex appellationibus certorum dierum, utputa Nonarum, & Idum, ac reliquis vestigiis colligi videtur, contra illud excipi potest; Latinos, aut Romanos dierum illa vocabula ex Græcorum imitatione transfuisse, atque à Græcis illis colonis accepisse, qui sapius in Italiam à Græciâ transearunt; Pelasgis videlicet, Arcadibus, & Aboriginibus: tamen lunares annos, menseseque simpliciter nequaquam retinerent; sed solaris etiam cursus rationes assequi studebant, atque altero quoque anno superfluos dies attererent. Non aliter, opinor, quam, ex ipsius Scaligeri sententia, iidem illi Græci, licet annos, menseseque populares non ad Lunam conformarent, nihilominus dierum in mensibus appellationes ex lunaribus rationibus petebant. Unde & *republicæ, & civitatis deinde, & civitatis &c.* id genus usurpabant, quæ lunaribus mensium descriptionibus pertulerunt. Quemadmodum igitur si quis ex eos, quod & *republicæ* mensium tricenariorum primi dies vocantur, & ceteri deinceps transfatis à lunaribus mensibus vocabulis notantur, negaret alios, quam meteo lunares menses à Græcis adhibitos fuisse, reclamaret Scaliger, ac suam illam, & consuetam anni popularis, ac mensium æquilibrium rationem opponeret. Ita & ex Romanorum mensium appellationibus negari potest id effici, quod concludit Scaliger. Quamquam ab ea conjectura nequaquam abhorremus, deque ea pluribus postea.

Sed & levissimum est argumentum illud ex eo de promptum, quod à media nocte Romani diem auspiciati sint. Nam id solis potius rationem illos habuisse demonstrat, quia post mediam noctem ad finitorem nostrum propius ille succedit, ac tum velut orti incipit. Quod illud Virgilianum lib. v. *Æneidos* pertinet.

Torquet mediis nox humida cursus,
Et me sevens equis Oriens affluvit anhelis.

Tum lib. vi. noctem à meridie inchoari significat.

Hæc vice sermonum rosis Aurora quadrigis
Jam mediam æthereo cursu conscenderat axem.

Mox Sibylla.

Noxruit Æneæ, nos stendo ducimus horas.

Quod si dierum initium ad Lunam exigere voluissent, ab ortu Solis illud repeterent potius: quemadmodum Judæi, & Athenienses, adeoque Græci: quoniam ingruente nocte Lunæ præse conspicua sunt. Nihil igitur incepta est ratio illa Scaligeri. Sed neque tolerabilior est altera illa, quam adfert, cur Romani ante diem iv. Kal. dixerint pro ipso die, qui est iv. Kal. quia videlicet à media nocte diem principium est. Nam ex ea sequitur vocabulum dici ambiguit, ac duplici notione sumi. Quippe cum dicimus ante diem, si verum est quod à Scaligeri proponitur, dies pro luce sumitur, sive ipatio ab ortu Solis ad occasum. Et tamen dies Romanorum usu à media nocte in mediam protenditur. Deinde quæ tandem est ista loquendi formula; ante diem iv. Kal. hoc est inter mediam noctem, & ortum Solis? An cum ita Scriptores loquuntur de intervallo illo, quod est ante lucis principium, accipiendi sunt? Hoc verò per absurdum est; nec illud dubium; ante diem in ista loquendi formula nihil aliud esse, quam ante diem confectum, hoc est in ipso die.

Autonii locus, qui allatus est, ad rem non facit. Ineunte nocte scribit Antonius; & hoc tempus ait esse ante diem nonum declinam Calendarum Januariarum. Nempe quod nondum media nox appeteret, à qua diei sumitur initium; ideo prima nox; id est iniens erat, ante diem xix. Kal. Jan. Scaligerianum verò signum vestigium in illis verbis ne tenuissimum quidem cernitur.

III. Ex eadem divinandis licentia profectum est & illud, quod tanta cum fiducia pronunciat, Romanos annum lunarem constituisse dierum ccciv, uti postea Democritum. De Democrito parum explorata res est, & à

De formula illa loquendi ante diem iv. Cal. &c.

solo Scaligero tradita, ut supra vidimus. Romani vero cum lunarem annum dierum esse 354, à Græcis didicissent, imparis numeri desiderio, non ex accuratiori motus observatione, diem unum addiderunt, ut veteres omnes tulerant, & pluribus postea confirmabitur. Nam illa dispositio mensium quo demum auctore defenditur? Quis ejus meminit? Quis ut optima, maximæque contentanea sit, à Romanis tamen usurpatam nisi temerè persuadeat? Uno verbo; negamus illam apud Romanos descriptionem mensium aliquando fuisse, eamque velut falsam, commentitiâque respicimus.

Non satis habuit Scaliger explosis veterum testimoniis, commenta sua nobis obtrudere; nisi & illos mentitos, & hallucinatos esse homo minime mendax assereret. Atqui in eo ipso, quantum veteribus assignat, unus Macrobius locum fidei fecerit. Hunc enim falsò Scaliger affirmare scribit, Romanos à Græcis intercalandi mensis unius rationem edocitos, qui alternis dierum esset xxii. & xxxiii. hæc verò calumnia est. Nam id nunquam Macrobius docuit: sed cum Græcos narrer in Octaeteride sua octavo quoque anno tres menses, singulos tricenarios, intercalasse, subdit Romanos illorum imitatione totidem dies, id est nonaginta in octo annis intercalasse, non tamen menses perinde tres, sed quatuor, nimirum altero quoque anno singulos, qui alternis xxii. diebus, & xxxiii. constarent. Ita enim x. dierum numerus efficitur. Hæc Macrobius lib. i. c. xlii.

De intercalatione Merkedonii agemus proximo capite. Interim illud animadvertendum est Varronis verba perperam exponi. Non hunc asserit esse duodecimum, cum Merkedonius sit xlii. Cum autem intercalatur (non utique Februarii, sed Merkedonius) ait inferiores quinque dies Februarii demi, cui xxviii. tribuuntur, & infundi mensum intercalarem, sive Merkedonium. Hæc Varro, quæ planissima sunt. Frustra item Scaliger Februariarum, sive xlii. mensum xxxiii. illos dies à Varrone dici putat; inter quos & v. dies demptos Merkedonius inseritur, ac modo xxviii. modo xxxiii. dierum esse statuit. Etenim Februarii perpetuo diebus constabat xxviii. Ideoque cum intercalabatur Merkedonius inter xxii. & xxiv. diem, nunquam pauciores viginti tribus illum antecederent.

Ex quo sequitur falsissimè, & contra Varronis, ac veterum omnium mentem, existimare Scaligerum Terminalia nonnumquam in xxii, aliâ in xxxiii. diem incidere. Nam Merkedonius inter xxii. Februarii & xxiv. intercalabatur, post Terminalia; quæ perpetuo ultimum trium & viginti dierum antecederent Merkedonii Kalendas occupabant: tum infertus mensis, cui v. dies appendices Februarii subijciebantur, alternis xxii. & xxxiii. dies numerabat. At Scaliger Varronis mentem non est assecutus, frustra que libi persuasit, primos illos dies Februarii, inter quos & quinque postremos Merkedonius infunditur, non semper xxii. esse, sed interdum xxii, quorum postremus Terminalibus dicitur esse. Quam hallucinationem initio lib. i. pag. 14. obiter intexit. Neque verò distinetur intercalarem mensum nonnumquam appellari non eum, qui propriè infunditur, diebusque constat alternis xxii, & xxxiii, sed eundem ipsum cum appendicibus quinque. Ita quidem, ut aliâs xxviii, aliâs xxvii. dies habeat, pro eo ac Merkedonius xxii, aut xxxiii. diebus constat, de qua re paulò post. Sed absurdissimè Ciceronis locum ex v. Epistolarum ad familiares, Epist. xiv. ad Ligarium, ad conjecturam suam trahit. Nam ut ostendat utrumque mensum intercalarem esse dictum, tam xxii, illos dies, qui ante infertionem Merkedoni transiguntur, quam Merkedonium ipsum, qui inter Terminalia, & Regifugium intercalatur, intercalationem testem laudat, qui Epistola illa sic loquitur. *Cum ad vi. Cal. intercalares priores rogatu fratrum tuorum venissem mandâ ad Casarem.* Hæc enim Epistola, inquit, scripta est anno ipso Confusionis, quo est intercalatum. Non aliud æquè Scaligerianum *ἀναλογικῶς* convincit, atque observatio ipsa anni Confusionis. Si enim eo anno scripta est Epistola, non potest intercalari ille prior esse Merkedonius, qui in Februariarum infundebatur.

IV. Macrobius lib. i. c. xlii.

V.

Ciceronis lib. v. Epist. xiv.

Nam Cæsar eodem anno neque Febuario, neque sequentibus mensibus, Romæ fuit, sed in Africa. siquidem xiv. Kal. Jan. in Lilybæum pervenit, inde in Africam profectus, non ante III. Cal. Quint. in Italiam rediit. Propterea Cal. intercalares priores unius mensis ex duobus illis, in quos anno Confusionis Julius Cæsar lxvii. dies, quos inseruit, partitus est, ut libro iv. plenius exponetur. Ita rectè Aldus Manutius Ciceronem interpretatus lib. i. de Quæst. per Epist.

Est illud præterea Scaligeri castigazione dignum, quod Regifugium ait fuisse Cal. ipsas mensis xlii. Nam nullus omnino mensis Calendas Regifugium obtinet. Quippe Varro disertis verbis asseverat, cum intercalatur Merkedonius, quinque postremos Februarii dies detrahi, qui post finem Merkedonii pertentur. Horum quinque dierum primus est Regifugium. Ergo non potest in Merkedonio Calendas incurrere, sed est ab illis vicissim tertius, aut vicissim quartus.

Cum autem innumera sint in hac Temporum doctrina Scaligeri commenta, haud scio an ullum sit ineptius, quam quod & hoc loco de Romanis, & alibi passim de Atheniensibus, Elidenibus, Græcisque ceteris exposuit. Quos omnes arbitratur diem unum intercalasse, Juliani bisextilis instar, quo civilis anni descriptio solaribus metis, & cardinibus responderet. Unde Julium Cæsarem putat, id quod à plerisque nationibus fieri consueverat, sed tacite duxerat, & apud sacrorum Antistes, ac Sacerdotes; primum omnium populari usu, & observatione sanxisse, & bisextilem diem inculcasse. Atqui totum illud commentitium est, neque fando unquam est auditum. Nam quod ad Græcos attinet, satis in libro priore disputatum est, annum civilem habuisse lunarem, qui ut cum solari epactarum, & embolinorum mensium beneficio conciliaretur, certis Periodis includebatur. Ita factum, ut sine præcipua aliqua diei unius infertione utriusque anni rationis veritate Periodo concordaverint. Exempli causâ, cum Octaeteridem lunarem cum solari paria facere sibi persuasissent, quemcumque demum solaris anni modum constituerent, ad eum lunares calculos trium mensium intercalatione, & paucorum dierum *ἀναλογικῶς* facillimè revocabant. Hierophantiarum autem arcana illa intercalatio ex officina Scaligeriana profecta est. De qua nemo præter illum mentionem facit. Simillimum est & quod de Romanis Pontificibus affirmat; quos negamus omnino ante Julii Cæsaris editionem diem illum bisextilem intercalasse, ut ad epocham solarium cardinum civilia intervalla temperarent. Nam quod unum quotannis diem inseruisse ex Macrobii auctoritate colligit, id cuiusmodi fuerit proximo capite dicitur.

Hoc verò præclarum, quod Pontifices ait Olympiadibus ipsi unum intercalasse diem, eumque propterea ex quadrantis quatuor collectum diem Olympiadum fuisse nominatum, & in eo certa mysteria celebrata. Quæ omnia casta, frigida, & apertè commentitia sunt. Sed Ciceronis verba unde ista colliguntur, præstat hic adscribere. Sic igitur lib. xv. Epist. ad Atticum, Epist. xxiv. loquitur. *De meo timere varie sententia. Multienim me, sed tu incumbere quæso in eam curam. Magna res est. An probas si ad Kal. Januariæ cogitamus? Meus animus est æquus. Sic tamen ut si nihil offensionis, sit & tuus. Etiam scribe quo die Olympia: cum mysteria scilicet, ut tu scires. Cæsar consilium nostri timeris iudicabit. Dubitemus igitur. Hierna enim navigatio odiosa; eoque ex te quæseram mysteriorum diem. Cicero profecturus, inquit, non audeat inerti accingere se; antequam dies Olympiadum intercalatus esset; quod omnis intercalationis dies religiosus, & insausus haberetur. Ideo cum dies Olympiadum, hoc est dies ex quadrantis horæ conflatus intercalaretur, quædam mysteria fiebant. Sequuntur loca alia duo, in quibus & mysteriorum ejusmodi intercalationum, & temporis, quo fiebant, meminit. Primus est lib. v. Epistolarum ad Atticum Epistola xxi. *Cum scies, Roma intercalatum sit, ne ne, velim ad me scribas certum, quo die mysteria futura sint.* Alter ex Epistola I. lib. vi. *Faciisque me in quem diem Romana incidant mysteria certiorum.* Postremo dies idem proprio nomine vocatur Olympia lib. xvi. Epistolarum Epist. vii. *Asteram de qua Brutus, & qui unâ erant (multi autem erant) letabantur, quod eam vituperationem effugissem, me existimari ad Olympia.* Corrigit Scaliger a. d. Olympia. Si Cicero, inquit, migrasset ante diem Olympia,*

quod is dies *ἀναλογικῶς* sit, & peregrinationi non idoneus, difficile fuisset ipsum Ciceronem eflugere vituperationem populi, religionem illi obijcissent. Hæc Scaliger. Quorum eò summa redit: Romanos Pontifices ante Julianam editionem arcana quadriennia servasse, ac diem unum intercalasse, ut anni solaris cursum, Solstitii, æquinoctiorum, & brumæ metas tuerentur. Eum diem Olympia nominarunt, eoque mysteria quadam celebrabant.

In hac omni Scaligeri disputatione quantum communis sensus, ac iudicii intus, ex sequentibus animadvertet. Decimasquartas Epistolarum ad Atticum liber scriptus est post Julii Cæsaris necem, anno urbis conditæ dccx, ut ex earum lectione quis agnoscat. Illam quidem, unde primus est allatus locus, ex itinere scriptus, quando citate profectus est in Græciam, post Cal. Jan. Romam novis Goss. rediturus, ut in prima Philippica testatur. Igitur Cal. Sextilibus Syracusis venit, postea meliori spe per suorum litteras ostensa, Romam eodem Sextili mense properavit. At liber v. & vi. Epistolarum scripti sunt ante Cæsaris mortem. Ac vicissim prima quidem libri quinti data est à Cicerone cum Cilicæ præficeret, anno Urbis dccxii. Nec longè postea scripta est prima libri vi, quam datam in fine significat die septingentesimo sexagesimo quinto post Leucricam pugnam, id est post necem Clodii, quæ contigit anno urbis conditæ dccxi. Itaque duo posteriores libri scripti sunt ante Julianam formam editam, cum vetus Calendarium adhuc usurparetur: decimus quintus, & decimus sextus post Julii eadem, quæ incidit in annum secundum editionis Julianæ, quæ anno Urbis ex Varroniana putatione dccxi. cœpit. Igitur Scaliger, ut ante Julianam editionem in veteri anno Romano diem unum ex quadrantibus horarum collectum intercalatum esse demonstrat, Epistolæ illius verbis abutitur, quæ constituto jam ac recepto novo Calendario, & abrogato vetere scriptis Cicero. Quo quidem anno bisextilis nondum intercalari potuit, uti nec sequenti, qui erat Julianus tertius. Quare mirifica est oscitantia. Enimvero infelicissimum se Criticum in his locis castigandis, & interpretandis præbuit: atque à communibus, & usitatis notionibus ad inusitatas, & consociatas significationes usum vocabulorum transfudit. Ut cum Olympia diem appellari putat illum, qui à Pontificibus intercalabatur in anno Romano veteri, & mysteria, operantia sacra, quæ tum celebrari mos fuit. Atqui nihil aliud Olympia istis sunt, quam agones Olympiaci, qui commodum in Græciâ per illud tempus indicebantur, quo Cicero ex Italia solvebat in Græciam. Incidit enim in annum Julianum secundum, Varroniana putationis dccx. annus Iphiti dccxxxiii, Olympiadis cxxxii. primus. Quocirca cum in Græciam navigaturus esset Cicero, suspicabantur ipsum illò se potissimum conferre, ut Olympiæ ludis interesset; quod minus ex dignitate esse videbatur. Propterea statim in Epistola vii. libri xvi. subjicit. *Ego verò Austro gratias miras ago, qui me à tanta infamia averterit.* Sed de ludis Olympiæ loqui se clarius docet in Epistola v. libri ejusdem. *Sed tamen, inquit, rumoris nescio quid asseverat, commissione Græcorum frequentiam non fuisse. Quæ quidem me minime sefellit. Scis enim quid ego de Græciis ludis existimem. Jam Romana mysteria facta quadam occulte fuerunt, quæ tum celebrabantur, cum mundus patere dicebatur; idque quotannis ter; de quibus Festus. Ac tum nefas arbitrabatur publicè, ac privatim aliquid capessere. In primo loco Epistolæ xxiv. lib. xi. pro eo, quod vulgò legitur. *Etiam scribe quo die Olympia &c.* Bofius ita reponit. *Et tu etiam scito; quo die olim piaculum, mysteria scilicet.* Est et alioqui minus integer ille locus. Denique alienissima est emendatio illa Scaligeri, qui in postremo loco Ciceronis a. d. Olympia, pro, ad Olympia rescribit; & de intercalari illo die accipit, qui tum certe nullus esse debuit, recepta jam Juliana forma, & abrogata veteri; nec unquam ullo in Romanorum usu fuit. Etenim cum vetus ille modus altero quoque anno biduo redundaret, & post annos xxiv. dies eximendi ferè totidem essent, quid erat causa, cur novum, & ex quadrantibus collectum diem adijcerent? Ita enim post xxiv. annos xxx. dies superflui, non xxiv. fuissent. Apage commentorum absurda ista portenta.*

Ejusdemmodi est anni Romani explicatio, cuius de VII. & descriptionem minime intellexit. Nam Romanus an VIII.

* Livius Lib. xlv. in fine libri: intercalatum eo anno, postrida Terminalia intercalaria fuerit. D. Petavius.